



Hung. VI 6

207










Ung VI 6

Compingendum cura,
uit fisci sumtibus
Petrus Madács
A. 1762. h. t. e.
Bibliothecarius,
& quidem, ut tum e,
rant tempora, ingenti
pretio.

Stabo III. 843



Ad
ORNATISSI-
MUM IUXTA ET
DOCTISSIMUM

Dominum
JOHANNEM
ZALWEIN, NEOSOLIEN-
SEM PANNONIUM.


Ad XVI. Calend. Sextileis.

Wittebergâ

In Patriam, post septennium,
feliciter abeuntem.



WITTEBERGÆ,
Typis VVolfsgangi Meißneri, 1594.





VI tot millia, *FANE*, separatum
Usque à Pannonijs ad hoc Lycéum,
Quod cis Saxonas Albis aestuoso
Fluctû verberat, antea migrabas:
Postquam sat bibitum est salubris unda,
Quam Phœbi manus erudita, quamq̃

Alumniis Charites suis propinant
Quotquot ore siticulosiori
His impensius imminent fluentis:
Iam celi monitû patrisq̃ jussû,
Annorum vice septies recursâ,
Desertas patria redis ad oras,
Oras quas acie ferocienti
Vexat Turcus acinaces. Quod à me
Vis habere viaticum? Phaleucos?
Phaleucos habe. immò cum Phaleucis
Hoc votum quoq̃. Pannonas reversus
Victores videas, & Othomanos
Sui perpetuo dolore victos.

Fridericus Taubmanus
Francus. P. Li

A 2

Alind.

Aliud.

OMnia non omnem tellurem ferre Poëta
Dum canit, à verò non aliena canit.
Pannonium nostro quis non præferret Iaccho!
Quis non præ reliquis citrea poma legat?
Hic Oleæ veniunt, alibi felicius uvæ;
Iurgia mittit equos, Anglica terra canes:
Cinnama cum croceo non fert Thuringia fructu,
Ibura Sabæorum cetera nescit humus:
Quem latet haud cunctis palmam produciæ agris
Et nisi Iudaico balsama nulla solo?
Mille quis Ausonij non novit aromata fundi?
Par quibus ista parum, vel nihil, ora parit.
Scilicet & propriâ quævis provincia laude
Pollet, ut ex aliquâ clareat arte magis.
Hinc Sophiam callent Itali, civilia Galli
Iurgia, Teutonici Mystica sacra viri.
Sicut ubiq; vides nasci commune legumen
Privatumq; suo limite germen ali.
Novit id egregiè genialis conditor horti
Semina qui toto, si datur, orbe petit.
Quòdne facit vulgus, nos id fecisse pigebit?
Se studio vinci mens studiosa sinet?
Tantane suscipient illi tellure colendâ
Unde ferè possunt utile ferre nihil?
Et nos excultâ liceat quò mente potiri
Forsitan exiguum defugiemus iter?

Te quoq; **SOLVINI** meditantem talia, claris
Hactenus incaptis Leucoris aqua tulit.
Ut tua felici repleverit horrea messe
Neu tibi vel Themidos desit opima seges,
Suppetat at pleno rerum iam copia cornu
Copia diuinis ingeniosa bonis
Copia multiplicem quæ postmodo cedat in usum
Diuite si promas, quæ iubet hora, penus.
Nunc quoniam patriam iussus remeabis ad urbem
Ocia pro studijs commodiora leges:
NEV SOLIV Mg₃ petes, nostramq; valere iubebis
Leucorin, ac in ea quos sociavit amor.
Ni tibi sat loti mansum, doctæq; putarem
Artis, ab hac vellem te revocare via:
At nunc te revocat, nunc te tuus urget **ULYSSES**
Ut repetas patriæ transtra relicta ratis;
Quinetiam loto mentis benè pastus Et altus
Remigis ipse domi fortis ad instar eris:
Cognatisq; decus, solamen utriq; parenti,
Civibus optata gaudia luce feres.
Quæ, quò (dante Deo) præstes, foeliciter istud
Cedat iter, cedant cuncta secunda, precor.

Iohannes Rodenburgius
Antvverpius:

A 3

Alind.

Aliud.

NVunc est eundum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, quæ SOLIUM NOVVM
Educit abstruso recessu
Pannonium bene dives aurum.
Antehac IOHANNES, municipes tui
Vix ad secundum se lapidem dare
Quibant periculis inter hostes
Expositi, rigidis & armis;
Dum se vus unco Turcus acinace
Et dira doctus spicula tendere
Fumus parabat sanctiori
Imperio, & Mahomete teste
Iurabat altis urbibus ultimam
Causam: furorem sed minuit Deus
Fatale monstrum reprimendo,
Promeritis daret ut catenis.
Ceu frangit altis montibus ilices
Eurus trementes: utq; aquilo ratem
Remosq;: sic obscura promens
Attenuat DEVS insolentes.
Hæc hætenus. Tu gaudia qua patrem
Intrare cernes, qui modò pro focus

Araq;

*Araq; sacra militaris
Flammivomas equitabat inter
Turmas; solutus nunc dubio metus
Et Martis extra classica, filium
Prædulce lenimen laborum
Ad patriam videt ire sedem.
Matrem senentem quid referam, aut pium
Fratrem & sororem, qua reduci tibi.
Lentis adherentes lacertis
In lacrimas oculos resolvent.
Hæc ne retardem, desino, mollium
Nunc jam modorum. Blandior igneam
Defendat æstatem meanti
Euronotus pluviasq; nubes.*

I O C V S.

D*Vm septem à patria SOLVINIUS exulat annos
Contentus misto perluit ora bryo.
Sed simul ad gelidum si felix veneris Istrum
Pannonio incipies te satiare mero.
Et tamen (ariolor) mistura parabitur; uno
Nempe volet tecum virgo cubare thoro.*

Georgius Schell Neap. Fr.

Cur-

Aliud.

Currit ad extremos velut impiger institor Indos,
Nil metuens dubiæ spicula dura Deæ:
Sic cui barbaries foetet, quem vera fatigat
Bellerophontæos cura videre choros;
Ultrâ Sauromatas hic vel per saxa per ignes
Fbit, & Aonijs ora rigabit aquis.
Hunc non dira farnes, facies non seua locorum
Reprimet, infesta nec mora longa via.
Virida sic etenim virtutis fama paratur,
Sic datur exculti nomen habere viri.
Id mihi præ reliquis testaris solus alumnis
Pieridum, clarijs, Iane colende, vadis.
Non modò cui patrio placuit residere Lyceo
Spirat ubi doctis doctus Apollo sonis:
Verùm etiam varios peregrinis noscere in oris
Mores, & Musis thura litare sacris.
Abfuit an dolor hic? an fors sævisissima morbi
Abfuit hic rabies? abfuit hicq; labor?
Indicio, (quis enim neget?) est mihi Leucoris ipsa
Leucoris eximijs usq; referta viris.
Hic quæ non tandem toleras portenta malorum?
Quas non exhauris terq; quaterq; vices?
Nempe artes voluere Dij sudore parandas,
Et præclara homini cuncta labore dare.
Quorum (nam fatear) larga tibi plurima dextra
Contulit immensus qui regit astra Deus.

En

En quoq; pacatos offert post nubila soles
Tempora, fortuna dans melioris iter.
Dulcia nam meruit qui degustavit amara,
Et letis, superans tristia, dignus erit.
Fallor ego? patrij revocant te, Iane, penates,
His finem cupiunt ponere jamq; malis.
Fallor? clarorum lectissima turba virorum
Hoc jubet, hoc votis vultq; cupitq; suis.
Quid? Deus ipse vocat: jubet ipse: Et postulat illud
Vis genij Musis non inimica tui.
Felix, o nimium felix, o rite beatus
Cui datur e duris terga levare locis.
Gaudet amicorum cui concio tanta piorum,
Patria quemq; suo gestit habere sinu.
Et merito: pietas etenim morumq; venustas
Dat faciles homines, dat facilesq; Deos.
Ipse ego fraterno verè tibi nexus amore
Perspexi hæc animi signa probata pij.
Sic ut vita, eheu, sine te mors: gaudia luctus
Iam fiant, fiant dulcia amara mihi.
Nam tu solus eras rebus lenimen in arctis,
Solus eras animæ portio magna mea.
Sed quid agam? si fata vocant, parere necesse est
Fatis, præsertim cum meliora ferant.
Iova tibi interea felices depluat auras,
Spiet Et optatis ad tua vela Notis.
Incolumem patrijs hic reddat te quoq; Lucis
Atq; tua solus sit comes ipse via.

B

Sit

Sit comes ipse via, comite hoc non turba latronum,
Ficta Christicolis fraude nocere solet.

αγορῆς ἱσυχίας.

Annum, Mensem, & diem discessus continens.

CLaret Eoâ bis IVLI OCTAVVS ab UNDâ
Phœbus: Leucoreo Dat VaLe ZaLV In agro

Georgius Schmidelius Brisnensis
Pannonius.

Aliud.

SIC quia fixa animo tibi stat sententia, Zalwein,
Leucoream ut statuas deseruisse Scholam:
Ille tui haud si vit nunquam debilis in me,
Simplice quin versu te comitarer, amor:
Sed quibus est facilis pangenda in carmina Phœbus,
Metraque, queis rivo limpidiore fluunt,
Commemorent, in te fuerit pietatis, honesti
Quod studium & quantus nocte dieque labor,
Pieridum ut velles sacros lustrasse recessus,
Artes discendo, munera, Phœbe, tua:
Quantaque, volvendis sinuosa volumina juris
Sedulitas fuerit, carmine rite canant:
At mihi, cui nullo finguntur metra nitore,
Infra vesque gerunt verba coacta pedes,
In patriam reditum, sit fasque, piumpque, precari,
Optime IANE, tibi, faustaque, fata simul.

Aggre-

Aggredere ergò viam CHRISTO DVCE & AVSPICE
Cœlica turba tuum cingat ubiq; latus. (CHRISTO
Non imbres ulli, tempestate sive morentur
Te, sed Sol gratum spargat ab axe iubar:
Et quia nunc urit Nemeæi terga Leonis,
Te semper recreet blandior aura, precor;
Æstus iners solis ne te premat: undiq; cesset
Ventorum rabies, tedia magna via:
Nec tibi contingat dentes sensisse ferarum,
Nec gressus turbet trux homicida tuos:
Verùm cuncta tibi faveant, tibi dulce levamen
Voce creent volucres, cuncta tibi faveant.
Si qua tamen venient adversa ferenda, memento
Qui tibi sint comites, quis tibi Duxq; via.
Namq; via comites sunt cœlica turba fideles
Angeli, & ipse Deus monstrat ubiq; viam:
Huic fide, oppositam contra & subnitere molem;
Huic verè qui scit fidere, victor abit.
Deniq; ut incolumis possis spectare parentes
Salvos, de votè dulcis amice, precor.
Irrita sed ne sint ardenti corde profecta
Vota, Deus faxit fons & origo boni:
Ergò vale, dilecte mihi, nonq; immemor unquam
JOHANNES, nostri: VADE, VALEq; precor.

Honoris & benevolentia ergò scripta à

Casparo Eisricht Neustad. Silesio.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]




Iosaphat rex, qui in Syria regnavit
Regna sine rebus, non regna sine rebus
Sed ego in Syria regnavi, sed, amice, in Syria
Le colles de l'Arabie, maritima regna
Sed in Syria regnavi, quibus caris, Syria
Si vis in Syria, Syria regna, Syria
Nulla in Syria, Syria regna, Syria
Nec in Syria regna, Syria regna, Syria
Eum in Syria, Syria regna, Syria





Umg. VI 6

VD 77



Stabo III. 843



Ad
ORNATISSI-
MUM IUXTA ET
DOCTISSIMUM
Dominum
JOHANNEM
ZALWEIN, NEOSOLIEN-
SEM PANNONIUM.
Ad XVI. Calend. Sextileis.
Wittebergâ
In Patriam, post septennium,
feliciter abeuntem.

WITTEBERGÆ,
Typis VV olffgangi Meißneri, 1594.

